

Q. D. B. V.

CONTRA

CONVITIVM
PSEVDORTHOXIAE

IN

ORTHODOXOS DOCTORES

AB ΑΠΑΙΔΕΥΤΟΙΣ ΑΛΙΩΤ

RECENS CONIECTVM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDERICO AVGVSTO

ELECTOR. SAXON. HEREDE

PRAESIDE

VALENTINO ERNESTO LOESCHERO

S. TH. D. PROF. ET ORD. SVI HODIE DECANO

AL. SAX. EPHORO

AD D. XXXI. MAII A. C. clō lccc VIII.

PVBlice DISSERET

ANTONIVS GVNTERVS GRAMBERGIVS

OLDENBURGICVS.

VITTEMBERGAE LITERIS CHRISTIANI GERDESII.

ib .
25 . diss. A
25

a - LXIX. 25.

CONVITIVM

IN THEODORE DOCTORIS

IN

RECELS COMITIVM

RECELS COMITIVM



FRIDERICUS WAGNER

LECTOR SAKONENSIS

PRÆSIDI

VALENTINO ERNESTO LOESCHNER

PH. D. PROF. ET ORD. SVI HOHE DECANO

AL. SAK. ET. THORO

AD D. K. M. A. C. CL. 1871

PH. D. DISSEPT

ANTONII S. GRAMBERGII

OLDENBURGII

CHRISTIANI GRAMBERGII

5



DE
CONVITIO
PSEVDORTHODOXIAE
DISSERTATIO THEOLOGICA.

I.



Convitia pensare convitiis, semper a pietate judicatum est multo alienissimum, ex quo cum primis vere pii omnes divino mandato constringi se norunt, ne *λοιδορίαν ἀντὶ λοιδορίας* reddant, *1. Pet. III, 9.* Quare suo se velut forices indicio produnt, facilioremque veritatis defensoribus pugnam faciunt, qui hodie pietatem præ omnibus sibi vindicant, atque sub ejus pallio multa Ecclesiæ perquam pernicioſa tentant, tamen in rependendis convitiis, (quæ ipsi talia esse sentiunt) talionis jure sibi utendum omnino existimant, imo vel superare adversarios hac in parte student. Hæreticum vocare quempiam, veteris cujusdam Ecclesiæ corruptoris nomine tanquam
ejus

ejus socium notare, sigillatim Pietistam nominare, convitium illis videtur, opus carnis, imo scelus vix expiandum; *atenimvero hæctenus non veriti sunt promachi eorundem eos, a quibus oppugnantur, non carnales saltem, lupos, & veteratores appellare, sed & Pelagianos, Pseudorthodoxos, hæreticos, Orthodoxistas, vel quicquid hujus generis comminisci potuerunt. Augurari inde licet, eos non amplius profecturos, *2. Tim. III, 9.* sed vim erroris magnam partem jam confractam esse, eosque tam impotenti stylo & contentionis genere favorem, quo nisi hæctenus sunt, ac commendationem piæ moderatæque controversiarum tractationis perdituros. Sed cum convitia ista in cordatos Theologos, quotquot illis resistunt, promiscue, speciatim in hanc Almam, custodem veritatis Evangelicæ, quæ Dei gratia est, constantissimam, emittant, atque in hæreseos criminatione lenem seignemque esse neminem oporteat, etsi cetera digni omnino non videantur clamores isti, quibus refellendis impendamus operam; breviter auctoribus convitii, quantopere peccent impingantque, causa ista non obiter examinata, exponam. Precor vero Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut spiritu salutaris sapientiæ me regat, & disceptaturo cum perversis *σοφία καὶ σοφίαν* largiatur, a perversione vero potentissime animum meum calamumque avocet, ut bene & hæc ipsa cedant, quæ veritatis causa suscepimus, per Christum! Amen.

II. Defungemur isto labore quam fieri poterit brevissimis, non ignorantes, plura nobis esse, quæ agamus, quibusque perficiendis operari mallems, nisi & molestum istud resistendi turbatoribus officium injunctum

* *Vid. Ordinis Theol. Halens. scriptum c. D. Mayerum, p. 15. sq.*

junctum nobis esset. Primum de facto, quidque con-
vitiū in veritatis defensores jactum sit, disquiremus:
deinceps controversiæ hujus disceptandæ idonea jacie-
mus fundamenta, tandem, sententia modeste dicta,
adversantium argumenta expendemus. Dicetur au-
tem eadem opera, (ut & in docendi genere nonnihil
interea præstemus) de nominibus diacriticis, eorum-
que odio & favore, deque aliis non levibus momentis.

III. Ac primum quidem adversariorum audiemus
voces, ut de illis eo luculentius æqui judices senten-
tiam ferre possint. Præter schedas ἀνονόμους καὶ ψευδονό-
μους, quarum tanta fuit copia, quam muscarum, cum
sudum est, quibusque a decem circiter annis iterum ite-
rumque occentatum hoc scomma est, præ ceteris, no-
mine etiam præscripto, Berolinensis quidam, odio at-
que jactantia plenus, illud in scenam produxit, libellis
aliquot germanico idiomate nuper editis, in quibus pro
incredibili styli impotentia maximos, minimos aggre-
ditur, miscensque omnia, labem Pseudorthodoxorum
illis, qui ingruenti passim Indifferentismo obnituntur,
impactam voluit. Vt enim scomma illud ipsi est fre-
quentissimum, * ita figillatim scribit, a sedecim cum-
primis annis ingentem Pseudorthodoxorum nu-
merum extitisse, qui sub orthodoxiæ nomine varias
doctrinas divinas, easque ad fundamentum spectantes,
suspectas reddiderint, damnaverintque, nec non per-
niciosissimos ac prorsus hæreseos nomine dignos erro-

A 3

res

* *Ioachimus Langius, in der Nachricht von den Unschuld. Nach-
richten, in titulo, Erste Ordnung, Vorbericht, A. 8. a. b.
p. 6. 7. 9. 10. 12. 13. 16. 17. 19. 20. 21. atque sic porro, singulis
ferme paginis. Confer. Idea Schelgwig. Theol. & Anato-
me passim.*

res propalarint & mordicus defenderint, omnique adeo impietati & atheismo viam fecerint, atque fundamentales errores teneant, * quibus sane duriora vix dici possent: Horum inter nos multa millia uni Fanatico opponi posse, censet, ** eosque, quasi re jam prorsus confecta, in tres classes dividit, crassos nimirum, qui horrendos errores defendant, & vel exegeteos ignari sint, medios, qui magis erudite & sub pia specie veritatem impugnent, atque subtiles, qui ab impugnatione abstineant, denique hos omnes vere hæreticos, & antiquissimos quidem esse ac diffusissimos, clamat. Idem vero in latino scripto, quod Ideam Theologiæ Schelgvigianæ &c. vocat, longe etiam durius, & perruptis velut omnibus modestiæ cancellis, hoc institutum superiori anno preffit, idemque in *Oratoria Sacra*, p. 249. & alibi fecit, pluresque in hujus favorem convitii libros alios se editurum minatur. Socium se Berolinensi adjunxit Gothanus scriptor, qui nuper non veritus est scribere, in multis hominum millibus inveniri Pseudorthodoxiam, quæ in eo consistat, quod cum malis operibus fide in cœlum penetrare velint, (*nach welcher man sich bey bösen Wercken in den Himmel glauben will*) eamque a Paulo, *Epb. V, 6. 7.* intelligi. *** Aliis *Orthodoxistarum* nomen, quo fidos veritatis defensores exagitarent, excogitatum atque adhibitum est, cum primis illi, qui turpi artificio recoctam castratamque Orationem Tarnovianam, quasi a Svecico Theologo habitam, fu-

* *Nachricht*, Erste Ordnung, p. 7.

** *Ib.* p. 44. *Andre Ordnung*, p. 73. sq. *Ib.* p. 90.
Conf. Idea, p. 104.

*** *J. C. Keslerus*, in *Tr. Verlobrue Sache c. Dn. Edzardum*, p. 25.

superiori anno edidit, atque in calce plura se contra Orthodoxistas editurum pollicitus est. *

IV. Rem omnem ita rectissime disceptabimus, si primum de nomine Pseudorthodoxorum & pseudorthodoxiae, deinde de re ipsa, conficta nimirum secta & hæresi, atque de utriusque fundamentis disquiramus. Nomen, ut inde ordiamur, non aliquo majorum usu, vel communi Sapientum instituto ad nos pervenit, sed paucis ab hinc annis, paucorum quorundam consilio dicam, an convitio? in orbem prodiit: Compositum ex vocibus ὀρθοδοξία & ψεύδος. *Orthodoxia* omnibus, qui non infecti sunt Scepticismo aut Fanaticismo, appellatur ipsa veritas, qua notionibus doctrinisque sanis continetur, vel, ut succinctius dicam, *veritas qua nos & inter nos*. Tolle enim δόξας ὀρθὰς, sanas sententias, nullam equidem habebis veritatem cognitionis, quæ est ad nos, tanquam personas λογικὰς ad cognoscendum factas, neque veritatem rei amplecti eaque uti, ut hominem decet, poteris. Quare contemtores salutaris istius vocabuli omnes, & crassos, qui incredibili numero in hoc μισαληθῆ seculo certatim illud & rem, quam denotat, ipsam convitiis prosciderunt, atque ad orcum, tanquam orcodoxiam, relegatam voluerunt, & subtiliores, qui, meliorem animum prætendentes, vocabulum tamen illud in deteriorem sensum degenerasse scribunt, merito devitamus. Nam priores quidem palam produnt, se τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας penitus abjecisse, 2. *Theff. II, 10.* vereque traditi propterea sunt εἰς ἀδόκιμον ἔθν, *Rom. I, 28.* in horrendos, quibus scatent, errores; posteriores vero fatis patefaciunt, habitam

* *Eines frommen Schwedischen Theologi Rede von dem neuen Evangelio wider die Orthodoxisten, Brandenb. 1707.*

habitam sibi orthodoxiam pro re media, cum μέσα saltem in deteriore sensum delabi soleant, non res maxime salutares & necessariæ, adeoque, sicubi & nomina ea, quæ per se rem necessariam dignissimamque indicant, usu vulgi deturpentur, illi profecto, qui rem amat, contra hunc abusum pugnandum fit.

V. Altera compositi scommatis vox est ψεῦδος, quod juxta veteres, Platonem cum primis, vel αἰκίσιον est, vel ἐκίσιον: illud est ἢ ἐν τῇ ψυχῇ ἀγνοια, ἢ τῷ ἐψευσμένῳ, ut Plato scribit, L. II. de Republ. hoc vel a scientibus fallendi animo fit. Itaque quoties illud in compositionem venit, falsi quidpiam in re, vel rem confictam ementitamque indicat, sub veri specie a quopiam oblatam obtrusamve, sive is pro vera illam habeat, sive falsam esse ipsemet omnino norit. Ita Pseudochristianos eos dicimus & Pseudotheologos, qui cum nihil minus sint quam veri Christiani atque Theologi, pro talibus, vel fallendi studio, vel ipsi παραλογιζόμενοι ἑαυτῶν, Iac. I, 22. se venditant. Sic in sacris ψευδοχρίστως, ψευδοπροφήτας, ψευδαδελφως, ψευδοδιδασκάλως & ψευδομάρτυρας non uno loco legimus.

VI. Venimus ad compositum Pseudorthodoxiam, omnibus ætatibus, ut dixi, ignotum & insigniter monstrosum vocabulum. ψευδοδοξίαν equidem legimus apud Aristotelem, unde & Th. Brounius Pseudodoxiæ suæ Epidemicæ titulum petiit; sed ea vox notat doctrinam in se falsam, quæ pro vera venditatur. Sic apud profanos scriptores audit ψευδοπαρθενος, quæ virginem mentitur, non est, ψευδοπαιδεία, informatio falsa, ψευδόχρησος, quod nihil habet veri auri, sed pro eo male habetur. Itaque, si quem idoneum sensum habere debet Pseudorthodoxiæ vox, opus est, ut significet doctrinam,

nam, quæ minime sit orthodoxa, pro ea tamen ab hominibus se ipsos decipientibus, vel alios decepturis, venditur: paucis, pseudorthodoxus fuerit, qui orthodoxiam mentitur, non habet. Sed hunc convitii sensum ne ipsi quidem adversarii, & veritatis splendore, & aliis causis obnitentibus, candide lectoribus offerunt: largiuntur enim, Theologos nostrates, quos Pseudorthodoxos nominant, veram sanamque doctrinam, h. e. ipsam orthodoxiæ rem, hætenus retinere, quod Berolinensis ille sæpe dissimulare non potest, atque in praxi saltem & applicatione dogmatum (h. e. siquidem apte loqui velint, in ὀρθοδομία) a nostratibus peccari clamitant, vel quasdam saltem falsas erroneasque sententias in controversiarum hætenus agitatarum æstu invaluisse, aut olim intermixtas fuisse; quæ vel rem orthodoxiæ tollent, vel ea salva admixtæ erunt; quicquid horum eligant, extricare se ex propriis compedibus non poterunt.

VII. Quod si recte omnia expendamus, triplicem sensum convitio Pseudorthodoxiæ Antagonistæ tribuunt. Interdum enim, ut diximus, ultro dant, recte se omnino habere doctrinam eorum, quos Pseudorthodoxos vocant, atque de vitiis saltem applicationis & praxeos, quæ abusus nominant, se usurpato isto nomine conqueri tradunt. Ita Spenerus olim scripsit, doctrinam inter nos puram esse, in libris, *Glaubens - Lehre*, p. 1412. 1414. *Klagen über das verdorbene Christenthum*, p. 34. *Widerlegung des Vnfugs*, p. 128. seqq. *Vbereinstimmung*, p. 223. vid. S. Reverendi D. Neumanni *Dissert. de Reformatismo*, p. 43. Aliis locis doctrinam etiam pseudorthodoxorum insigniter corruptam esse clamitant; sed pronuper de-

B mum,

mum, inter agitatas nimirum hæcenus controversias, ex odio in quosdam acrius orthodoxiam propugnantes & ipsorum conatibus obsistentes, ita vociferari cœperunt, imo corruptionem illam nuper demum, maxime a Theologis istis, profectam, scribunt: * Denique aliis locis corruptelas istas paulo post factam Lutheri ministerio repurgationem Ecclesiæ enatam esse, atque penes quamplurimos locum obtinuisse, imo ante Spenerianas jam lites regnasse, contendunt: ** nonnunquam a Caino usque pseudorthodoxiam derivant. ***

VIII. Nihil vero horum cum ceteris stare potest, nisi penes illos, qui cerebrum habent in calcaneo. Quod si enim perantiquæ sunt corruptelæ istæ, qui posunt ex ἀμετρία ἀνθρώπων & nostrorum affectibus ac impetu primum prodiisse? Potestne præterea pura esse ac illibata Ecclesiæ nostræ doctrina, si tot & tam crebri errores, vel olim, vel hodie, in Ecclesiam latissime inveci sunt, & passim regnant? Scio, quosdam responsuros, Ecclesiæ quidem doctrinam, si in abstracto accipiatur, purissimam esse, sed Doctores plerosque erroribus contaminatos, h. e. doctrinam, in concreto acceptam, falsam & merito repurgandam esse. Ecquid vero per doctrinam in abstracto dictam intelligi volunt? sane non ideam aliquam doctrinæ, quæ nullibi sonat, ita enim per leges sani sensus ne quidem ipsorum verba intelligi possent, quæ tum quidem forent insanum nugatoria? Quid igitur sibi vult ista doctrina Ecclesiæ

* *Langius inter alios Gedanensibus Theologis rem imputat, & nuper ortam vult, Nachricht, I. Ordn. p. 15. 74. sq. & passim, Idea, p. 5.*

** *Id. I. Ordn. p. 44.*

*** *Ibid, p. 19.*

clesiæ in abstracto? num illa forsitan est, quæ ab ipsis contra nostrates defenditur? Sed hæc primum in concreto datur, deinceps de illa in locis adductis nequam agi potest; cum enim Antagonistæ initio de Ecclesia, qua reformatione indiget, loquantur, non sane se ipsos intelligent, h. e. jactatos reformatores cum reformandis confundent. Si dicant, se ab adversariorum saltem suorum erroribus doctrinam abstrahere, & eo sensu puritatem doctrinæ Ecclesiæ largiri, laterem lavabunt, rursus enim de Ecclesia reformanda agunt, & jam olim talia ingenti numero extitisse scribunt. Imo, quod palmarium est, pseudorthodoxos quoties nominant, toties a personis, quibus hanc contumeliam inferunt, & doctrina, quam illæ gerunt, abstrahere nequeunt: adeo adversariis omnia perpluunt, & manifesta eorum contradictio ubivis se prodit.

IX. Applicentur vero tres istæ acceptiones ad Pseudorthodoxiæ convitium. In priori equidem acceptione, qui vere orthodoxus est, ab erroribus noxiis sibi cavet, atque abutitur saltem sana doctrina ad quæstum, & debito illam modo in praxi non applicat, non magis pseudorthodoxus dici potest, quam si verum prophetam, qui divina vaticinia profert, sed cetera ambitioni atque lucro inhiat, pseudopphetam, si veram doctrinam non recte usurpatam pseudodoxiam appelles, quod est perabsurdum. In secunda acceptione & tertia, vel sublata est orthodoxiæ res, vel salva hætenus ex adversariorum confessione superest. Si prius affirmarint, pugnabunt secum ipsis Cadmæi fratres (constanter enim scribunt, orthodoxiam penes nos superesse salvam, eoque nomine nos orthodoxos, sed cum addito τῆ ψεύδης, quasi falleremus alios ac noceremus

remus Ecclesiæ per orthodoxiæ defensionem, appellat;) quod si posterius amplexi fuerint, facient contra ea, quæ de primo significato monita sunt.

X. Vnum illud forsan pro fœtu isthoc suo dixerint, $\psi\epsilon\tilde{\upsilon}\delta\omicron\varsigma$ ipsis hoc loco errorem vel impiam sententiam notare orthodoxiæ admixtam, eo enim redire omnes ipsorum conatus animadverto; atque sic, ut veritas vel logica est, vel metaphysica, $\psi\epsilon\tilde{\upsilon}\delta\omicron\varsigma$ etiam duplici sensu accipient, interdum metaphysico, pro falsitate in re, ut Pseudochristum, Pseudoprophetam dicimus, interdum logico, ut Pseudodoxiam videtur Aristoteles accepisse, pro erronea videlicet doctrina. Verum hic alterutrum istorum eligant necessum est. Si metaphysicum $\psi\epsilon\tilde{\upsilon}\delta\omicron\varsigma$ intelligunt, ut ex usu vocis receptissimo intelligere debebant, cessat ista excusatio, & vel concedendum est, eos, quos adversarii Pseudorthodoxos appellant, non habere rem orthodoxiæ, vel absurditas novi dicitarii omnium patebit oculis. Si logicum $\psi\epsilon\tilde{\upsilon}\delta\omicron\varsigma$ significari velint, primum, cum in vetus sit, in compositione præsertim, iste vocis usus, mone re Ecclesiam de suo sensu debebant; deinceps ne ratio quidem vocis & compositionis admittit, ut $\psi\epsilon\tilde{\upsilon}\delta\omicron\varsigma$ & $\omicron\theta\delta\omicron\delta\omicron\zeta\iota\alpha\nu$ hoc sensu jungant, h. e. errorem & veritatem copulent, & quasi $\psi\epsilon\upsilon\delta\alpha\lambda\eta\theta\epsilon\iota\alpha\nu$ quandam sibi fingant: Non enim mixtura veri & falsi Pseudodoxia vocatur, sed systema opinionum plane falsarum; quamvis de illa Aristotelis voce notandum præterea sit, non $\psi\epsilon\upsilon\delta\omicron\delta\omicron\zeta\iota\alpha\nu$, h. e. falsam opinionem, sed $\psi\epsilon\upsilon\delta\omicron\delta\omicron\zeta\iota\alpha\nu$ ab illo dici, posterioremque compositi vocem non videri $\mu\acute{\epsilon}\sigma\eta\nu$, sed legitimam doctrinarum adorationem indicare, quam quis mentitur, qui adeo pseudodoxiam habere dici potest, sed voce $\psi\epsilon\tilde{\upsilon}\delta\omicron\varsigma$ in metaphysico sensu, quem

quem ethicus sequitur, accepto. Quo se igitur vertant Antagonistæ, deplumatum vident hoc suum *ἔυρημα*, & vel studium fallendi, vel neglectus disciplinæ grammaticæ logicæque in illis se prodit. Si uno forsan alterove rariori exemplo detortum vocabuli *ψεύδος* usum excusare velint, cogitent velim, *ψεύδος* aliquando Theocrito significare pustulam super naso mendacis: * Licebitne illis propterea convitiatorum mensuram implere, & Antagonistas suos pseudorthodoxos, imprecando vel affingendo illis istam maculam, hoc sensu appellare?

XI. Etiam hoc prætermitti non debet: Pseudorthodoxorum nomen *χαρκτηριστικόν* esse volunt, quod ita debet esse comparatum, ut in eos solum, qui designandi sunt, apte quadret, non in alios. Quæso vos autem, o convitiatores, nonne & Pontificios & Calvinianos & alios pseudorthodoxos appellare fas fuerit? nam & illi mentiuntur orthodoxiam, quam vel habent ex vestra mente, vel non habent. Si habent, ut vestrum quidam enormi cum scandalo non verentur scribere, ** deprehendimus vos manifestos orthodoxiæ, vel hostes, vel contemtores. Si eadem destitui illos creditis, negare tamen non poteritis, illos orthodoxiam mentiri. Utrinque igitur & illos pseudorthodoxos nominare necessum habetis; Quid ergo id nominis ad designandos Evangelicos vobis adversantes faciet? nisi convitii causa, quicquid in professos Ecclesiæ hostes dici poterit, in nos conjicere studetis.

XII. Vnum forsan illud objecerint: Apostoli nomen sane orthodoxi titulo inferius non esse, Pseudapostolos tamen in sacris Literis dici, qui officio Apostolico

B 3

* *Idyllio XII.*

** *D. I. C. Langius, in Respons. ad Storrium, p. 40. 79. sq.*

itolico debita ratione functi non sint: Sic pseudorthodoxos nuncupari posse, qui orthodoxia semel iterumque abutantur. Sed primum dispar utriusque appellationis est ratio: nam in pseudorthodoxi compellatione periculum est præsentissimum confundendi veritatem logicam & metaphysicam earundemque opposita, atque adeo subsidium salutis diuinitus datum posthabendi, quod in altero isto exemplo non metuendum. Præterea Pseudapostoli nomen, quod semel saltem in sacris *2. Cor. XI, 13.* occurrere recordor, non hominem notat, qui aliquo modo verus Apostolus sit, & falsi saltem quidpiam admixtum habeat, ut de Pseudorthodoxis suis *οἱ ἐξ ἐναντίας* loquuntur, sed illum, qui nullo modo Christi Apostolus sit, sed Satanæ minister, *commate 15.* Quare si omnino *χαρακτηριστικῶν* ejusmodi conuitio uti vellent, Orthodoxistæ nomen longe foret aptius, quippe quod abusum orthodoxiæ indicat, ut Pietistæ nomen abusum pietatis; Etsi illud semper discriminis residuum sit, quod orthodoxia Orthodoxistæ, quem vocant, ex ipsorum confessione Adversariorum, logice vera maneat, pietas autem Pietistæ præpostera sit, nulloque respectu vera dici possit.

XIII. Exposito facto & nominis indole aliquantum expensa, de fundamentis controversiæ recte definiendæ videbimus, inchoantes a nominum polemicorum *διακριτικῶν*, vel *χαρακτηριστικῶν* penitiori consideratione, ut thesi perspecta ad hypothesin nos conferre possimus. Nomina diacritica in sequiori sensu imponere, ut est res difficilis ac permolesta, ita caute omnino sobrieque tractari debet, maxime omnium in re theologica ad conscientiam pertinente, ubi nomina ista cum damnatione dogmatum, designatione personarum, quæ fugiendæ sunt,

sunt, sunt conjuncta & sectarum nomina dici solent. Quare in tali casu ad duo respiciendum est, primum, ut idoneum ac solidum talis appellationis fundamentum habeamus, secundo, ut necessitate quadam ad eam aliis imponendam impellamur: quæ si defint, a tali παραδειγματισμῶ (ut stylo biblico rem exponamus,) non minus quam aliis, quæ lædere proximum dicuntur, abstinendum est; neque vera necessitas imponendi ejusmodi nominis sine fundamento, vel fundamentum sufficiens sine necessitate, datur. Continetur autem fundamentum sufficiens sequentibus indiciis: Primum, si homines a fide devii & aliorum corruptores ipsi novum sibi nomen arrogent, eoque velut superbiant. Sic Nicolaitarum nomen in Ecclesiæ usum venit, quod impuri depravatissimique homines ita dici gauderent, vel a falso jactata mundi victoria, vel a Nicolai, pii hominis, nomine in speciem captato, quod in Ignatianis legitur, *Epistola ad Tarsenses*, ubi falsi nominis Nicolaitæ vocantur οἱ ἀνάθαρτοι Νικολαῖται, οἱ ψευδόνυμοι, p. 168. ed. *Amstel.* & in altera ad Philadelphienfes legitur, ὁ ψευδόνυμος Νικολαίτης, p. 182. quæ etsi in Anglicanis editionibus defint, satis tamen antiqua haberi debent. Pari ratione Gnostici sibi ipsis id nominis adscivere, de quibus Clemens Alex. *Lib. III. Strom.* p. 319. οἱ ἀπὸ Προδίκου ψευδόνυμῶς Γνωστικῶς σφᾶς αὐτὰς ἀναγορεύοντες, *Prodici affecta se ipsos falso nomine Gnosticos vocant.* De Encratitarum & Evchetarum appellatione est quod idem sentiamus. Secundo loco huc spectant actiones singulares & vim erroris cumprimis designantes a talibus hominibus affectatæ, v. gr. quando Anabaptistæ a repetito baptismo, atque olim Hydroparastatæ a vino prorsus repudiato exclusoque, Tascodrugitæ, vel Patta-

Pattalorinchitæ ab indice in nasum ad sanctitatis fanaticæ speciem imposito, Artotyritæ a caseo ad mysteria adhibito, Umbilicani a turpi ceremonia fanatica nuncupabantur. Tertio loco huc faciunt errores etiam in vulgus satis noti, unde denominatio peti possit, v. gr. quando Patripassiani, Alogi, Docetæ, Anthropomorphitæ, a capitalibus erroribus ita sunt appellati, vel se ipsos ita discreverunt. Quartum denominandi fundamentum dant auctores sectarum vel statores præcipui, quos venerantur omnes earum alumni & in oculis ferunt, adeo ut cum ab illis vim mali habeant, merito etiam ab illis nomen sortiantur; ut a Simone Simoniani, a Cerintho Cerinthiani, a Carpocrate Carpocratiani, a Valentino Valentiniani, a Marcione Marcionitæ, a Montano Montanistæ, ab Ario Ariani, a Photino Photiniani, a Calvino Calviniani, & permulti alii.

XIV. Dicamus etiam de necessitate talium nominum imponendorum. Hic primum constare debet, quod intermissa talis denominatio causæ Dei noceat, eo quod veritas, pietas cultusque publicus genuinus manifestum detrimentum quorundam sociatis consiliis fraudibusque capiat, qui publice designandi sint, Ecclesiæque characterismo aliquo indicandi, *2. Theff. III, 14*. Accedit cum primis dura illa necessitas, si adversarii isti clanculum rem gerant, atque sub pallio communis fidei latere, & non agniti, stragem eo majorem edere conentur. Quare, si in aprico sit, multorum mentes a talibus in perniciem abripi corrumpique, qui incauti venena degustaverant, imprudentes in luum inciderrant, Pastoris est monere oves, luum facere omnibus notum, quod diacritico nomine omnium aptissime fieri potest. Hinc exortum superioribus seculis est Calvinianorum

nianorum nomen, cum Sacramentarii sub Evangelico-
rum Augustanæque Confessionis sociorum encomio,
moderationisque & charitatis pallio delitescentes, pas-
sim provincias, urbes, cœtus caperent inficerentque, ut
dictum nobis est in *Historia motuum a Calvinianis excita-
torum*, Lib. III. & IV.

XV. Hinc facile studiosus rerum divinarum col-
ligat, abstinendum a tali cognominatione fore, ubi
causis hætenus enarratis locus non datur: v. gr. si
quidam in *τρόπος παιδείας* saltem peccent, nec videantur
rem accurate satis interpretari, utut cetera causæ Dei
serio faveant, contra hos enim non tam elencho, cu-
jus portio est nomen sectæ diacriticum, quam fraterna
admonitione est utendum. Quod si autem prolapsio-
nes illæ degenerent in corruptelas, tum alio modo, no-
mineque etiam imposito, peccantes tractandi sunt; ubi
non diffitemur, mutatione ista in *κρίσεις* constituta, nec
secta satis matura, exquisitam omnino prudentiam ad-
hibendam esse, facileque ab iis, quibus ea virtus non
suppetit, peccari posse. Deinceps propter sola scanda-
la vitæ sectarium nomen tribuendum nemini esse, ea-
dem via facile constiterit. Non enim sectam faciunt,
qui corrupti saltem sunt moribus, seque omnino satis
inter homines manifestant, ut characterismo opus non
sit, neque noxam patitur Ecclesia Dei, si sectario nomi-
ne (quod in tali casu etiam per naturam rei est prorsus
ἀτοπον) abstineamus, ut potius ejusdem usus schisma-
ta excitet, Ecclesiamque turbet, atque impiorum lucre-
factioni obnitatur.

XVI. Itaque res tandem omnis ad istam facti quæ-
stionem devenit, *an detur quadam inter Evangelicos fa-
ctio, quæ orthodoxiam ita urgeat defendatque, ut tamen*

C

ea

ea non solum abutatur, sed graviter etiam contra ortho-
xiam peccet? Qua expedita, in juris quæstione facile co-
gnosceretur, num ista factio sectæ nomine, & titulo cum-
primis ab orthodoxia petito, insigniri debeat? Quæstio-
nes facti, cessante præsumtionis favore, publicis &
omnium notitiæ expositis monumentis probandas esse,
nemo rerum peritus negaverit, qualia in hoc rerum
genere scripta maxime sunt ab accusatis in vulgus
edita. Age igitur proferant accusatores digna fide &
perspicua documenta, ex quibus constet, maximum
orthodoxiæ abusum a multis hodie Theologis, qui or-
thodoxiam contra ipsos tuentur, non solum admitti,
verum etiam contra orthodoxiam ipsam graviter ab
illis peccari. Hic Rhodus, hic saltent. Ac primum gra-
vem istum orthodoxiæ abusum ostendant, tum de re-
liquis videbimus. Quantum autem ex adversariorum
scriptis colligo, duobus illi modis hoc effectum dare
conantur. Nam primum multa passim conqueruntur
de variis, quos vocant, orthodoxiæ abusibus inter nos
late regnantibus, quos maxime ad sequentes redu-
cunt: I. quod nostrates ad solum orthodoxiæ studium
omnes labores suos conferant, pietatis cura neglecta:
II. quod de orthodoxiæ possessione nimium glorientur,
& florentissimum Ecclesiæ statum esse putent: III. quod
orthodoxiæ studium nimis extendant, & leves lapsus
vel ἀκυρολογίας optimo animo prolatas ut hæreses tra-
ctent: IV. quod, si orthodoxia saltem salva sit, frena
peccatorum & vanitatum auditoribus passim laxentur,
& cothurnus Christianismi conficiatur, qui impiorum
etiam pedi aptus sit: V. quod, si orthodoxia saltem
illæsa perstet, auditoribus præjudicium operis operati
permittatur, imo commendetur: VI. quod in illis,
qui

qui orthodoxi sint, vana fiducia salutis extra regenerationis veræ statum excitetur: VII. quod omnes abusus homiliarum, elenchi &c. orthodoxiæ velo obtegantur. Quæ quidem omnia, si admissa omnino esse a plurimis docentibus, (quippe ad quos istæ criminationes spectant,) ostenderint, tum quidem abusus satis graves in Ecclesia dari evicerint, sed tales, qui apud quemlibet professum orthodoxiæ hostem dari possint, si ab orthodoxia posita abstrahamus, vel cum manifesto veritatis contemptu & sectæ studio (quod de tertio, quarto, quinto, sexto & septimo abusu dici potest) vel cum opinione possessæ veritatis, vel orthodoxiæ, quod de primo & secundo pronuntiari potest. Cur igitur orthodoxiæ tribuunt, convitio inde formato, quod a communibus hominum vitiis oritur?

XVII. Sed præterea accusationes istas, accumulatas satis, munire probationibus, iisque firmis & ad rhombum facientibus, credo adversariis longe difficilimum, imo *ἀδύνατον*, futurum. Erit enim ad casus singulares descendendum, ponderandæ circumstantiæ, spes & charitas Christiana non negligendæ. Quem ostendent nostratium, qui pietatis promovendæ studium plane neglexerit? qui mala Ecclesiæ omnino non agnoverit? qui inter hæreses & *ἀκυρολογίας* distingvere prorsus nolit? qui frena peccatorum docendo laxet? qui opus operatum non damnet? qui regenerationem non requiri doceat? qui abusus, legitime monitus, plane non agnoscat? Qui tales fuerint, carcinomata Ecclesiæ nostræ dici debent, neque horum genio Ecclesia obsecundat, vel obsecundabit. Ceterum vel præstantes Ecclesiæ Doctores interdum offendere, lapsus aliorum nimis exagitando, aut alia ratione cespitando,

C 2

non

non negamus, gnari istius Apostolici, πολλὰ πλάιομεν
ἀπαντες, Iac. III, 2. neque diffitemur, non paucos Pa-
storum excitandos ad majus pro pietate, atque con-
tra operis operati glaucoma, contra vanam ψευδοπίσως
persuasionem, contra tepidam rerum spiritualium tra-
ctationem, studium. Hæc vero qui Ecclesiæ, qua Eccle-
sia est, imputaverit, sectamque inde confecerit, næ is
graviter in pacem sacram amoremque corpori Jesu
Christi debitum peccaverit.

XVIII. Ad alterum causæ præsidium pergimus,
quod inde petunt adversarii, quod dicant, ipsum ortho-
doxiæ nomen a plerisque ita accipi, ut in fraudem sa-
lutaris cognitionis rerum divinarum vertatur; nam
notitiam rerum theologiarum mere philosophicam,
superficiariam, & logice saltem veram, quæ in impiis
etiam detur, & solis hominum viribus, sine gratiæ di-
vinæ operationibus, acquiri possit, quam orthodoxiam
vulgo nominent, ita evehi, ut altera illa, quæ solidior,
spiritualis & metaphysice vera fit, atque non nisi in san-
ctificatis detur, & sola Dei opus fit, non solum cum ea
confundatur, sed, quod turpius fit, ista florente negligat-
tur, imo pro fanatica habeatur. Itaque justissimum
fore credunt, si illos, qui ita se gerant, pseudorthodo-
xos appellent, atque orthodoxiam, quatenus eadem
tam graviter abutantur, pseudorthodoxiam vocent:
neque omnino se indignum quid committere, dum Phi-
losophiam istam de Deo, (sic vero loqui solent) non
omnino summa cum reverentia tractent.

XIX. Convitio huic natales dedisse videntur
P. I. Speneri dicta quædam, ut solet nimia Doctorum ve-
neratio in animis ad deteriora sua sponte propensis fo-
menta malorum amplificare. Ille enim cum inter alia
jam

jamdum A. cl. loc LXXX. in *Theosophia Vniuersali* docuisset, pietatem ad essentiam Theologiæ (metaphysico sensu) requiri, eamque Theologiam, quæ secus se habeat, & scopum non obtineat, non esse veram, * cum in *Libro de Christianismo practico* scripisset, nullam Ecclesiam, neque adeo vel nostratam, in doctrina tradenda satis puram esse, ** cum præterea in illis, quæ ad *Tabulas Hodosoph. Dannbauerianas* scripserat, alibique, studium veritatis, vel orthodoxiæ, & Theologiam, etsi quam accuratissime ad sacras literas instituat, si pietas non adsit, animamque ipsi tribuat, *ψευδόνυμον* esse docuisset, eamque ad meram Philosophiam de rebus sacris reduxisset, carnalem, literalem & *ἀθεον* (*fleischliche, buchstäbliche, ungöttliche Theologie*) vocasset, monitusque a Theologis, in eadem sententia perstitisset; factum est, ut asectæ longe etiam durius loquerentur, & sectam sibi aliquam ejusmodi Theologorum, nomine etiam diacritico designandam, comminiscerentur. Et I. H. Horbius quidem jamdum, in *Consilio piis desideriis Spenerianis adjecto*, scripserat, multos Doctores falsum docere Evangelium, *** alii vero non ista solum repetere, sed ad *βδελύγματα* usque & blasphemias voces progredi.

XX. Semina hujus imputationis errorisque, quo illa nititur, jamdudum in Doctorem quorundam scriptis sunt observata, qui meliori quidem animo, inter frequentes de vitiis passim regnantibus querelas, ac gemitus de multorum tepore, qui non veritatem so-

C 3 lum

* *Allgemeine Theosoph. p. 320. & passim.*

** *Keine einige Kirche sey in der Lehr-Verfassung richtig, Thätig Christenthum, P. II. p. 802.*

*** *Nicht wenig Prediger führten ein ganz falsch Evangelium, p. 218.*

lum tueri, sed impietati etiam majori zelo obviam ire debebant, minus caute de Theologorum habitu, spiritu & opere locuti sunt, adscitis aliquot Fanaticorum formulis, quas se a Fanaticismo penitus purgare posse crediderant. Io. Arndius (de cuius tamen animo meliora speramus) in hunc offendit lapidem, quando in *Libro de Christianismo*, commiscens agnitionem Dei plenam & practicam cum cognitione vera eorum, quæ de Deo cognoscenda sunt, veram cognitionem in emendatione morum consistere scribit, eaque absente illuminationem intellectui & verum docendi genus deneget, p. 131. 132. de Scriptura & verbo externo ac litera ejus mortua p. 31. 33. 36. 222. 470. non bene loquitur, spiritualia omnia, absente carnis crucifixione, homini denegat, p. 69. veram notitiam ab experientia demum deducit, p. 129. donaque malorum nullius usus esse contendit, p. 196. Sunt hujus generis non pauca apud alios scriptores, qui ascetica non satis caute tractarunt, & ἐπιγνώσεις dogmatica non usquequaque satis fuere instructi. Pauli Tarnovii, Rostochiensis Theologi, *Oratio de Novo Evangelio*, non parum quoque ad ista contulit, in qua non distinguuntur abusus a re, qua nonnulli abutuntur, somnolentia quorundam in abusibus istis oppugnandis & doctrinis necessariis inculcandis a mutatione doctrinæ: quare nostrorum temporum turbones, & provocant ad Orationem illam sæpissime, * & exemplo isto abusi, non veriti sunt dicterium de *Pseudevangelio*, *Evangelio exsangvi*, imo blasphemiam Dippelio frequentatam de suo Evangelio (*Sau - Evangelio*) comminisci.

XX.

* Vid. Langius T. I. der Nachrichten, p. 57. Safft- und krafftloses Evangelium.

XXI. At enimvero, si, seposita hominum aucto-
 ritate, ad rem ipsam respiciamus, & cumprimis, ut
 par est, ad gratiam prævenientem, qua Deus Ecclesi-
 am, atque in ea veritatem, Verbum suum, & Mini-
 sterium sanam doctrinam docens conservat generatim,
 speciatim quoque eorum, qui Theologiam docent &
 discunt, salutem quærit, ad dignitatem & vim insitam
 mediorem salutis, sigillatim verbi, qua prædicati, lecti,
 auditi & cogniti, eamque a subjecti dignitate neuti-
 quam dependentem; tum equidem facile animadver-
 temus, angvem hic, vel nesciis Doctoribus istis, in
 herba latere, non commiscenda esse, quæ illi commi-
 scent, non veritatem doctrinæ, quæ cum S. literis con-
 venit, ullo modo ab hominum pietate vel impietate,
 usu vel abusu dependere, aut metaphysicum, quem,
 vocant, nexum habere, etsi morali sensu omnino con-
 jungi debeant. Animadvertemus, distingvendam esse
notitiam τῆ γνώσεως τῆ Θεῆ, ut mediæ administrantis & ad sa-
 lutem tendentis, ab *agnitione Dei* ut objecti formaliter
 salvifici. Illa stylo Spiritus S. exprimitur per phrasin
 γινῶναι Θεόν, *Mattb. XXIV, 26. Luc. XII, 47.* & (a minori ad
 majus concludendo) γινῶναι Θεόν, vel τὰ τῆ Θεῆ, *Rom. I, 21.*
 γινῶναι τὸ δικαίωμα τῆ Θεῆ, *Rom. I, 32. Θεὸν εἶχειν ἐν ἐπιγνώσει,*
Rom. I, 28. Hæc redditur phrasibus, γινῶναι Θεόν, *1. Io.*
II, 4. γινῶναι καθὼς δεῖ γινῶναι, (ut debitum morale poscit,) *1. Cor. VIII, 3. γινώσκειν τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας,* *Io. XIV, 17.*
 Illa potest haberi ut donum mere administrans, atque
 metaphysico sensu nihil aliud requirit, quam ut cum S.
 Scriptura exacte conveniat, quo requisito posito, me-
 taphysice & logice, objective & subjective, (ut formu-
 las ad adversantibus ipsis adhibitas applicemus,) vera
 est; Hæc semper est donum sanctificans ac metaphy-
 fico

fico etiam sensu requirit spirituales subjecti indolens, atque sine illa metaphysice & subjective vera non est.

XXII. Quæ si consideremus, palam erit, non leviter peccari, quando primum notitia illa Dei administrans, cum verbo Dei conveniens, mera Philosophia de Deo ac orthodoxia literalis, deinceps considerata cum subjecti indignitate & δυσκрасία novum κατὰ μίμησιν Evangelium, Pseudevangelium, Orthodoxia carnalis, Orcodoxia & Pseudorthodoxia appellatur: nam ut prior ista appellatio dignitatem mediæ salutis lædit, ita posterior veritatem ipsam cum errore commiscet. Cum itaque utrique malo D. Spenerus aliique ἐκ τῶν δοκούντων non occurrerent, factum est, ut non solum in incredibilem penes multos contemptum orthodoxia perveniret, sed odium quoque & manifesta ejus conculcatio cum blasphemis vocibus subsequeretur, quales sunt, orthodoxiam rem nauci esse & vanum commentum, * chimæram esse & ens cerebrinum, imo idolum esse, ** heterodoxia eam non esse præferendam, *** imo bestiam & prostibulum ad catastam affixum (horresco recitans) esse. **** Etsi vero quidam illorum, qui ad cacoëthes illud non parum contulere, ultima ista repudient, sibi que imputari nolint; certum tamen est, illos, dum fontes hujus Stygis asservant defenduntque, dum pseudorthodoxia scomma & reliqua tantum abest ut vera cum pœnitentia aboleant, ut potius in
eo in-

* C. Democr. in Papismo Protest. vapul. p. 102. 105. in Tr. Wein und Oel, p. 12. C. Elias exardescens, p. 270.

** C. Obadias de Discrim. inter Christianismum & Orthod. passim.

*** Entdecktes Carneval, P. I. p. 224. 226. 228.

**** C. Democr. in Tr. Ein Hirte, p. 17. 18. 32. Ej. Gedanken vom Bericht von Pietisten, p. 72.

eo instituto pergant, dum Alastores illos, quos diu fo-
verunt, excusant hactenus, aut debita saltem cum se-
veritate non arguunt, malumve ex radicibus tollere
student, extra culpam omnino non esse. Eadem ope-
ra factum est, ut orthodoxia, quam Theologiam idea-
lem literalemque vocant, relicta, aliam veritatem rea-
lem, Theologiam, vel potius Theosophiam realem,
cordis & spiritus * quærendam esse & inculcandam,
multi fuerint auctores. Quo illa tentant, vel lippi vi-
derint.

XXIII. Vidimus de primo Antagonistarum fun-
damento, tam equidem ruinoso ac imbecilli, ut vel ad-
spectum veritatis sustinere nequeat: nunc ad alterum
provehimur, quando, seposita interim materia hactenus
explicata, illi præsertim, qui procaciores sunt ceteris,
& de humano favore atque præsidio abunde sibi cir-
cumspectum putant, palam nostris objiciunt, doctrinas
aliquot hæreticas sub orthodoxiæ titulo ab illis in Ec-
clesiam invectas esse, & has quidem cum primis sub
Pseudorthodoxiæ & Pseud-Evangeliî nomine perstrin-
gi. Age, afferant in medium durissimæ hujus accusa-
tionis capita, & vadimonium, nisi lite composita, non
deserant. Primum quidem uno velut ore doctrinam
de *Theologia impiorum* inter nos receptam in medium
afferunt, in quam plaustra maledictorum convehunt,
eandemque centrum & acropolin pseudorthodoxiæ esse
scribunt. ** Sed illi ipsi (ut solent parum sibi consta-
re,) aliud Pseudorthodoxiæ centrum fingunt, nempe
virtutem & indolem spirituales tertii e Symbolo A-

D

post-

* C. Obadias, l. c.

** Langius, *Nachr. T. I. p. 44. 45. conf. p. 83. sq.*

postolico articuli negare, * qua de re infra dicetur. Alibi totum mysterium Pseudorthodoxiæ, adeoque ejus etiam centrum, in G. Arnoldi Hæresiologia detectum scribunt: ** Qui liber cum hoc potissimum inculcet, omne studium refutandi & compescendi eos, qui contra orthodoxiam pugnant, a nato usque Christo babelicum & antichristianum fuisse, sequetur, pro centro pseudorthodoxiæ habendam esse hanc thesin, quod hæreticis fit resistendum; quod sane adversantium perversos animos nimium quantum proderet.

XXIV. Sed ad dogma ipsum potius nos convertimus, cujus fundamenta ex S. literis §. XX. jamjam sumus contemplati. In comperto primum est, nostrates nequaquam docere, quod pietas ad Theologum moraliter, quod dicunt, non requiratur, illique velut *αἰδιάφορος* fit; si quis monitus talia docuerit, huic ne ave quidem dicemus. Neque negant, Theologiam ex intentione Dei habitum prægnantem esse debere, verum ex hominum malitia interdum fieri nudum, atque tum non amittere quidem suam veritatem, intercipi autem ejus foecunditatem, atque adeo aliquam illi perfectionem deesse. Largiuntur præterea & hoc, quod pietatis ad sacrum etiam Theologiæ studium insignis usus sit, *1. Tim. IV, 8.* quodque impius multis se benedictionibus emolumentisque theologicis, quantum in ipso est, privet. Neque impiorum suscipere volunt patrocinium aut approbare excusareque, quod vitæ dedecus agnitæ veritati in gravem ejus contumeliam jungant, neque dignos se Evangelio Christi gerant, *Phil. I, 27.* Sed quicquid hic affirmant defenduntque, qui ex Ecclesiæ spiritu loquuntur, id omne in eventum & provi-

* *Langius, l. 6. p. 74.* ** *Ibid. p. 20.*

provisionis causa, quod dicitur, ac præcaventes dicunt, ne, si admittatur, impios non posse veritatem divinam cognoscere & docere, necesse sit inde concludere, quod impiorum ministerium, quippe vero Dei verbo destitutum, sit inefficax, contra Aug. Confessionis Art. VIII. quod veritas cum S. literis conformis, quam illi tenere supponuntur, sit ex viribus humanis sine gratia tertii Art. hausta & proposita, quodque adeo, si per illam aliquis convertatur, aut per verbum mere humanum, aut sine concursu Ministri convertatur, quod impietas divinitatem a veritate divina separare, & pietas eandem cum illa consociare possit, κ. τ. λ. Hoc animo docent, fieri omnino posse, ut impius ex gratia œconomica & pædagogica, tanquam gratiæ prævenientis gradibus, cognoscat veritatem divinam, assensumque ipsi præbeat, cognitamque sic ut Dei verbum aliis proponat, eoque sensu lumen & illuminationem quamquam, adeoque aliquid spirituale, ipsi adscribi posse, plane vero non ultra illa, quæ ex verbo cognoscit & tradit, etsi voluntas ejus salutaribus verbi operationibus cetera pessime resistat. Iudicent, qui possunt πνευματικῶς ἀναγεῖν, quid in illis sit erroneum, quid tanto convitio dignum. Contrariam autem sententiam analogiæ fidei præmodum adversam esse, intelligentes observabunt. Novimus contrarium non docuisse saltem, sed monitos etiam defendisse, Spenerum, Giessenses quosdam & Halenses, eorumque discipulos, Zieroldum, Langium, Keslerum, aliosque * qui, ut frugem aliquando hac

D 2

etiam

* Spenerus in Tr. Vbereinstimmung, Artic. I. Thes. 5. Consiliorum, T. III. p. 535. Giessæ I. C. Bilefeldius Disp. de Theol. pia, de duplici cognitione, de vidente, Hala Breitauptius, Disp. de vera notitia & alibi passim.

etiam in parte redeant, divinam misericordiam veneramur.

XXV. Jam illud alterum est, quod urgent, talem a multis, qui orthodoxi dicantur, doctoribus induci doctrinam, per quam omnis sanctificatio reipsa perimatur, vel nervus tertii articuli velut fanaticum quid tollatur, ut Berolinensis & Gothanus adversariorum Apologetæ scribunt. * Horrenda hæc est imputatio, quam si firmare rationibus adversarii possent, haberent in quod summo jure inveherentur. Sed ipsis sanctificatio, sive nervus tertii articuli, quatenus a nostris rejici dicitur, est vel perfectionis verbo Dei contrariæ opinio, vel studium pietatis inordinatæ, ad præcisionem Cynicam, ἀπάθειαν Stoicam, Mysticismum Platonicum, & superbiam ac præsumptionem Pharisaicam vergentis, imo ruentis, vel singularium affectatio cum contemptu aliorum, vel venatio spiritualium, imo ὑπερπνευματικῶν, extra verbum, extra ordinem, extra prudentiam christianam: hanc a nostris repudiari, gaudemus. Sed veræ fidei vivam indolem, serium divini honoris salutisque proximi & nostræ studium, ingenuum in omni virtutum genere nisum cursumque, quæ ad sanctificationem facere confitemur, ista si quis nostrum ut fanatica rejiceret, foret nobis etiam post unam alteramque admonitionem fugiendus & oppugnandus. Afferant vero Antagonistæ hujus generis exempla: nam si ad teporem quorundam provocaverint, hic quidem nihil ad rhombum dixerint.

XXVI. Sequitur aliud armorum genus, quo adversarii tandem se aciem perfracturos opinantur. Ajunt videlicet, pseudorthodoxos in sensu pseudorthodoxo

* Langius, Nachr. T. I. p. 74. Keslerus, Verl. Sache, p. 27.

doxo dicta S. literarum & doctrinas ex illis haurire non
 pere, etsi corticem fervent. * Exemplum inter alia il-
 lud afferunt; pseudorthodoxum propositionem bibli-
 cam, v. gr. illam, quod Jesus sit propitiatio pro peccatis
 nostris, capere contra intentionem Dei de propitiatione
 pro iis peccatis, quorum pœnitentia non ducamur,
 adeoque non in debito modo significandi. Sed respon-
 demus, quod si ita quis capiat illam thesin, vel in thesi
 eum errare, vel in hypothesi; si in thesi statuat, per
 Christum peccata remitti, quorum pœnitentia non du-
 camur, heterodoxus est, refutandus est; quod si ve-
 ro in hypothesi *sibi* remissa putet, non circa veritatem
 doctrinæ & sensum, sed circa ejus applicationem &
 usum errat, quæ duo, tironibus etiam distinctissima,
 adversarii manifeste confundunt. Quæso, desinant tan-
 dem tam indignis versutiis vexare Ecclesiam. Beroli-
 nensis iste non aliis argumentis utitur, quando pseud-
 orthodoxos cauponari scribit & corrumpere verbum
 divinum, totam salutis œconomiam adulterare, & Tal-
 mudicum doctrinæ chaos producere, (quæ est gladia-
 toria viri eloquentia:) ** At enim vero, quicquid af-
 fert & alibi *** repetit, propria ejus confessione ad
applicationem redit. ****

XXVII. Sunt quædam in Berolinensis antagoni-
 stæ argumentis, quæ habere aliquid in recessu quibus-
 dam videantur, quæque hinc inde ex ejus scriptis col-
 lecta expendemus. Falso putat nostros intelligere do-

D 3

ctrinam

* *Langius, Nachr. T. II. passim. Conf. D. Breithauptii Disput. de
 vera Dei notitia, A. 1707. hab. p. 58.*

** *I. Langius, Orator. S. p. 254. sq.*

*** *Nachricht. T. I. p. 85. sq. ad quæ responsum est in Decimis
 Evangel. P. IV. p. 361. sq.*

**** *Orator. S. p. 255. sq. ipsa applicatione, ita applicatur.*

Quinam de merito Christi fide apprehenso, quia fi-
 dem solis humanis viribus obtentam intelligant: sed
 quis hoc in thesi docuit? Si quis in hypothesi fidem
 imaginariam suam pro vera habuit, in applicatione rur-
 sus erravit. Remissionem peccatorum ait, ex nostratium
 mente omnibus sellulariam (ut ineptit,) confessio-
 nis formulam recitantibus annuntiandam esse; Ecquis-
 nam sic docuit, aut prudentem probationem persona-
 rum necessariam esse negavit? Peccatum apud regen-
 tos furere, & externe, & interne, putat a pseudortho-
 doxis suis doceri; * ostendat vero vel unum, nedum
 integrum agmen. Orthodoxiam veteris Adami vocat,
 quod justus septies uno die cadere possit; ** blasphem-
 me profecto & impie, neque enim orthodoxi cum Spi-
 ritu S. quem præeuntem sequuntur, lapsus mortales
 intelligunt, aut perseverantiam nullam dari docent.
 Alibi *** sentit, pseudorthodoxos docere, quod effi-
 cacia verbi divini consistat in mera excitatione idea-
 rum, quas naturales voluntatis vires statim sequantur
 & chimæras faciant; ostendat vero vel unicum exem-
 plum. Turpissimum vero est, quod pseudorthodo-
 xum esse scribit, si quis doceat, homines agnoscere,
 quod peccatores sint, confidere, quod Christus pro
 ipsis satisfecerit, & propositum formare, cavendi sibi a
 peccatis proæreticis; **** Itane sensum exiit Chri-
 stianæ fidei, & in experimentalis studio decoxit, ut in-
 nocentissimam Evangelicæ doctrinæ partem ita cavil-
 letur? Idem paulo post, non minori scandalo, pseudor-
 thodoxum vocat, si quis fidem describat per notitiam,
 assensum & fiduciam in Christum positam; nam quæ
 de

* *Langius, Orat. S. p. 256.* ** *Ibid. p. 257.* *** *Nachr.*
T. I. p. 86. **** *Ibid. p. 87.*

de naturalibus viribus & ordine regenerationis neglecto addit, ad errorem in hypothese vel *applicatione*, non in thesi vel *doctrina*, spectant. Si quid solidi in his superest, id omne eo redit, homines ad actus pædagogicos & debitorum suorum in ordine ad salutem ferriam præstationem non satis urgeri instigarique, adeoque in praxi peccari. Reliqua redeunt ad phrasas quasdam *ὑπερβολικῶς* de libris Symbolicis adhibitas, addita tamen dextra explicatione, ad conventus religiosos privatos in præsentis statu penitus rejectos, ad majorem N. Testamenti sanctitatem non admissam, ad preces proprio Marte fusas non satis sublimi loco positas: in quibus, etsi videretur aliquid castigari posse, quis quæso prudentum, nedum Christianorum, tantos propterea fluctus in sympulo moveret? Quæ si expendantur, constabit, quo jure scribatur, orthodoxos hodiernos non saltem in modo docendi peccare, sed & in re ipsa ac doctrina a veritate discessisse, imo in fundamento errare. *

XXVIII. Hactenus colores adversariorum contemplati sumus, satis superque perspicientes, quod ad formandam sectam pseudorthodoxam non rerum ponderibus, sed suis, quos patiuntur, Manibus adigantur. Sed cum nihil his effecerint, age nunc intimos animi recessus pandant, veramque causam, qua ad convitium hoc ingeminandum impellantur, prodant. Videas enim eos interdum fatentes, fieri hoc, ut par pari reddant, cumque a nostratibus Pietistarum nomen in immerentes projectum sit, non vitio sibi verti posse, si talionis jure utantur. Hic vero, si vel tantisper ab æstu affectuum discesserint, non poterunt diffiteri, talionis inter
vere

* Langius, *Nachr.* T. I. p. 49. 50. *Idea* p. 104.

vere Christianos jus eo se neutiquam extendere, ut, si alter injuriam mihi faciat, (ita vero Pietistarum appellationem interpretantur) injuriam possim reddere, multo minus ut, si juste in me durius quicquam dixerit, ego contra fas simile quid in illum immerentem conjiciam. Quæ hæc pietatis specimina?

- - - *Tantane animis cœlestibus ira?*

Neque vero largior, Pietistarum nuncupatione injuriam illis factam, qui hodie magis illud nomen, quam rem eo designatam, deprecantur. Primum enim volenti injuria non fit; adhæsit autem illud nomen volentibus, imo interdum eodem se jactantibus, maxime quando Antipietistarum titulum adversariis opposuerunt. Nondum quidem, quod sciam, exploratum est, Francofurtine ad Mœnum, an Lipsiæ illud nomen exortum sit: Lipsiensis tamen Poetæ carmine in Mart. Bornium innotescere cœpit, in quo elogii locum tenet: & recordamur, ante A. clō DC XC. non paucos illud adamasse, Petersenium inter alios eo semel iterumque delectatum, & Confessionem Gothanorum Pietistarum nomine editam esse. Equidem, postquam Edictis Principum nominatim Pietistæ tacti sunt, multi nunc subterfugere illud nomen, alii, ut a nota erroris & corruptelæ liberatum moderatius tractetur, postulare. Imo qui ex illis egressi sunt, longeque iis magis quam nobis favent, Pietistarum nomen tanquam a calumniâ vacuum adhibent, L. B. Crophius maxime & Dippelius. Neque aliter nominantur a G. Cræso, I. Bernardo, aliisque, qui extra certamen odii que suspicionem positi sunt.

XXIX. Neque vero sine justis causis Pietistarum nomen illis tribuitur, qui hodie sub pietatis prætextu
Eccle-

Ecclesiam turbant. Pietista, vi vocabulorum hujus terminationis in deteriora propendentium, est, qui pietati præpostere studet, cum detrimento veritatis & sinceræ pietatis. Horum autem permultos a viginti circiter annis extitisse, tot loquuntur scripta eorundem, in veritatis præjudicium edita, tot Principum & Rerumpublicarum edicta, tot forenses caussarum consignationes, quibus omnem denegare fidem, esset ad insaniam usque Scepticum agere. Gradu equidem differunt, aliis crassius, aliis subtilius hoc institutum urgentibus, aliis ad horrendos errores & excessus proruentibus, aliis vero eosdem saltem excusantibus, & indirecte concurrentibus: quorum illi equidem majori zeli gradu tractari debent, sed & his concedendum non est, ut pro animi libidine Ecclesiam vexent, sed, quousque, admoniti toties, in erroribus persistunt, & fovere mala Ecclesiæ non desinunt, caracteristico Pietistarum nomine, quod semel invaluit, appellari possunt, pietatis veræ titulo semper excepto.

XXX. Vt mensuram peccati impleant, solent *οἱ ἀντιδικῆντες* convitia augere convitiis, ut vel odiosissimos omnibus reddant veritatis confessores, vel bilem saltem suam in eos egerant. Hinc illud scomma, de *Pseudorthodoxo Caino*, a quo pseudorthodoxia originem capiat, * cum de *Caini orthodoxia* ne γὰρ quidem in sacris legatur, sed verosimilius sit, illum in graves errores delapsum: nec non illud de *veteribus pseudorthodoxis tempore Christi*, ** qui, quatenus Christum pro Messia admittere nolebant, neutiquam erant orthodoxi: denique illud de *pseudorthodoxa Diana*, *** quod a

E

blasphem-

* *Langius, Nachr. T. II. p. 90.* ** *Ib. T. I. p. 49. T. II. p. 74.*

*** *Langius, in Idea, p. 5. Nachr. T. I. p. 9.*

blasphemia parum abest. Accedit & illud convitium, ex studio *vindictæ* ortum, quando jam ab aliquot annis illi, qui fanaticis se opposuerunt, velut per retorsionem appellati sunt Fanatici, atque, ut Berolinensis ille, quo præcone utuntur, scribit, *Fanatici pseudorthodoxi*, * qui adeo se ipsum affectuum impetu decipit, ut & verissime proprieque dictos Fanaticos eos esse scribat, quia spiritum Dei a verbo separent, & suas ideas ejus loco habeant. Sed primum, si quis ita se gereret, hunc prudentes Naturalistam potius quam Fanaticum vocarent: deinceps sine speciali & maxime necessaria singularium exemplorum demonstratione ista dicuntur: accedit, quod imputatio ista omnis præjudicio manifesto nitatur, quod supra examinavimus. Non desunt ex adversariis, qui aliud quid comminantes, cœperunt nostrates appellare *scholasticos Christianos*, & scholasticum Christianismum, tanquam sectam theologicam sibi confingunt, ** miscentes abusum accidentarium cum rei forma & necessariis τῶν Θεολογούντων officiis. Alibi nostrates Pelagianos nominant, sed ex mero aggrediendi affectu, non quod Pelagianas doctrinas ab illis defendi serio credant, sed quia id, quod nostri pro divinæ gratiæ effectu habent, ipsi mere humanum existimant, ideoque ipsimet de inclinatione sua ad Pelagianismum aliquando moniti sunt: *** nam quem de voluntate ex naturalibus viribus intellectui illuminato obsecundante nobis tribuunt, error, præter jus omne & fas in nos conjicitur. Denique, ne quam vindictæ

occa-

* *Ib. T. II. p. 83. rechteigentliche förmliche Fanatici.*

** *Vid. D. I. G. Zieroldi Einleitung zur Kirchen-Historie, P. I. Cap. VII. &c. adde Neoscholasticum fermentum Langii, in Idea, p. 5.*

*** *Zieroldus Langius & Keslerus passim.*

occasionem intermittant, etiam *Chiliaftas* eos vocant, qui Chiliaftis se opponunt, eo quidem vere plumbeo artificio usi, quod nostrates statuunt, mille annos apocalypticos jam esse præterlapsos, adeoque Chiliaftæ impletionis, vel rei, sint. * Non enim qui mille annos apocalypticos defendit Chiliafta est, sed qui eos detorquet ad Iudaicam & Pythagoricam opinionem de chiliade, vel tempore novam salutis oeconomiam poscente. Accedit convitium *Grammatolatrarum*, (Buchstæbler:) Ominor etiam, propediem ad imitationem I. M. Stengeri, in ejusmodi convitiis perexercitati, eos sectam *Cervicodurorum & Concupiscentiariorum* addituros.

XXXI. Hoc forsitan unicum superfuerit, posse forsitan pseudorthodoxorum appellationem defendi Paulina ista phrasi, *ψευδόνυμοι & γνώσις*, *1. Tim. VI, 20.* quippe qui locus de illis, qui veritatem logicam habeant quidem, sed nimium ejus possessione se jactent, moribusque eam turpiter contaminent, intelligi possit, postquam Theologus quidam celebri loco nuper scripsit, non solum Gnosticos hoc loco indicari, sed & eos, qui mente forsitan assequuntur, quæ in divinis literis tradita sunt, sed tamen ea, quæ utcunque comprehenderunt, non ad pietatem, sed ad ingenii ostentationem &c. referunt. ** Quæ probare equidem non possumus, optamusque, ut CL. Auctor, admonitus ea super re, rectius suam mentem explicet. In aprico est, eo loco non de doctrina logice vera ex verbo Dei hausta agi; sed de ejus potius *ἀντιθέσει*, *com. 20.* quæ τῇ παρακαταθήκῃ doctrinæ veræ nobis concreditæ, qua verbo Dei continetur, opposita sit, E 2 quæ

* *Langius, Nachr. T. II. p. 52. sq.*

** *D. I. F. B. In Primitiis Ienens. Programm. de γνώσειστα.*

quæ profanis dictis contineatur, & quam fraudulentè
quidam homines promittant, *com. 21.* Vtinam inter
ψευδόνυμον γνώσιν & *ψευδόνυμον εὐσέβειαν* rectè distingvere-
tur, vel *ψευδόνυμον* cum male applicato usurpatoque
non confunderetur! Quorum neutrum probamus,
distinctè tamen de singulis loqui studemus. Quamvis
& *γνώσεως* vocabulum, quippe cum *μέσον* sit, longe in-
nocentius cum dictione *ψεύδος* construi possit, quam
vox orthodoxiæ, semper veritatem doctrinæ desi-
gnans.

XXXII. Postremo illos, cum quibus nobis ha-
ctenus decertandum fuit, monemus ac obtestamur,
per amorem Dei, curam salutis, & quicquid illis san-
ctum habetur, ut præter alia pessime admittenda & hoc
non leve profecto facinus intra se studiosius perpen-
dant, quod convitium illud, de quo hæctenus est dispu-
tatum, in quosvis Ecclesiæ Doctores secum non facien-
tes proterve adeo projiciant, neque spem caritatis, ne-
que injustitiam facti, neque exacerbationem animorum
curantes. Merito ad illos dixerim cum Vate: *Num
parum vobis offendere homines, etiam Deum offenditis?
Ies. VII, 15.* Duplici enim crimine laborant, & inju-
sto convitio probos doctores quosvis, quotquot non
σπενερίζουσι, lancinantes, & simul veritatem divinam,
qua inter nos dari potest, sive orthodoxiam, in contu-
meliam societatem vocantes. Molestè ferunt *τῆς κατέ-
χοντας*, fateor; sed his gratias agere deberent, quod
obstent, ne, quod molitur hodie Satanas, ira postrema
exæstuans, perficiat: nunc, quicquid demum expro-
bari nonnullis eorum posse videtur, in omnes tribu-
nitio spiritu declamitant, quasi his artibus lacera Ec-
clesia

clesia

clesia & fatiscens restitui posset, quasique hoc agere-
tur, ut, qui alter alterum convitiis superare possit, ex-
perimentum capiatur. Forent equidem quampluri-
ma, quæ, si in his Græciæ salus versaretur, possent illis
longe speciosius exprobrari; sed alio consilio rem ge-
rimus, Deo, non seculo, militantes. Illi rem com-
mendamus, verisque gemitibus rogamus, ut eos, qui
emendari possunt ex adversariis, a via irrisorum &
iniquitatis retrahat, reliquorum conatibus ponat obi-
cem, & Ecclesiam puriorem, incorruptaque salutis
nostræ subsidia ad seros usque posteros
conservet.

S. D. G.



NOBL-

CCCC

NOBILISSIMO CLARISSIMOQUE

GRAMBERGIO

AVDITORI ET AMICO SVO
HONORANDO

S. P. D.

PRAESES.

PErpetua hæc patriæ tuæ laus est, GRAMBERGI Clarissime, quod a repurgatis usque sacris constanter tuita sit doctrinæ puritatem, corruptelas habuerit odio, & non solum ipsa ab illis studiosissime sibi caverit, verum & aliis ad excutiendos, qui irreperant, errores fuerit adjumento. Hamelmanni vestratis inter alios sempiterna constabit memoria, qui confusissimis temporibus in doctrina de Christo Selneccero ipsi, candide hoc profitenti, aliisque Pharos fuit, atque ad sopiendas istius tempestatis turbas, tectos præsertim Calvinianos detegendos, permultum contulit. Spes mihi est, Te & ceteros

ceteros populares tuos, qui diligentia singulari apud nos incumbunt sacris literis, asserturos aliquando patriæ hanc laudem, imo amplificaturos. Tibi præsertim, Ornatissime Vir, hoc debeo virtutis testimonium, quem quotidie video & multa cum industria interesse theologicis laboribus meis, quem moventem dubia & disceptantem pererudite insigni cum delectatione audivi, quem, cum non adeo pridem habuerim cum applausu audientium Respondentem, nunc in solenniori etiam congressu video fortiter stantem, atque excipientem adversariorum falsorumque fratrum insultus, & repellentem. O quam gaudeo his speciminibus excrescentium in afflictissimæ Ecclesiæ solamen Candidatorum! quanta animi cum propensione de illis tibi gratulor! precatus immortale Numen, Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut in studio hoc solidæ laudis te perpetuo servet, uberrimis porro donis gratiæ instruat, successus exoptatos addat, teque ita πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρητισμένον tuo patriæque bono reddat. Scrib. Vittembergæ, die VI. Junii, A. c1o 1o cc VIII.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

(coll. diss, A. 70, Misc. 25)